

sententia, si sententia dici de iure potest, et aliis uestris quibusdam monitionibus penalibus explicatis, ipse dominus episcopus, uolens ante iudicium inceptum, ac ipso pendente, et post uestram sententiam antedictam, satisfacere de quantitate pecunie in ipsa inserte, prout et in quantum de iure debebat, habito respectu ad tenorem expressum in instrumento debiti, uigore cuius ipse Marcus eundem dominum episcopum, licet minus iuridice, ut allegatum et probatum extitit, inpetebat, nec non et ad uestram sententiam, se predicto instrumento in modo solucionis ut debuit informantem, procurauit ante terminum in ipsa uestra sententia comprehensum, predictam quantitatem pecunie per eius procuratores legitimos eidem Marcho Veneciis, in loco uidelicet in ipso instrumento expresso, et in ducatis aureis, iuxta mentem iuridicam eiusdem instrumenti, facere presentari; quam pecuniam eidem oblatam ipse Marcus, adiuuaciones simulatas querens, recipere recusauit, sicut de forma presentationis ipsius pecunie facte et recusatione eiusdem constitit uobis per publicum instrumentum presentatum uestre reuerencie cum aliis licteris ducalis dominii ad premissorum certitudinem per procuratorem ipsius domini episcopi, absolutionem a uobis tunc nomine ipsius a predicta excommunicationis sententia instanter et humiliiter postulantem cum debitibus oblationibus cautionum, solo uictu decenti sibi tantum modo reseruato, et prout requirebat ordo iuris et canonice sanciones. Quam absolutionem ex tunc sibi facere recusastis in eius grauem iniuriam, dampnum, incommode et iacturam et contra iura que de talibus ydoneis cautionibus nec inmerito contentatur; deinde, cum tempore succedente cum sepe et instantissime, tam personaliter quam per eius procuratorem, seu alias interpositas personas, uolens ymaginarie oppinioni ipsius Marci et eius procuratoris complacere in modo fiende solutionis superius nominate, comparuissest humiliiter coram uobis, petens cum oblatis cautionibus sufficientibus et ydoneis iuxta formam iuris et Romane ecclesie sibi munus absolucionis impendi a uestra sententia supradicta, si tamen sententia dici potest, paratus satisfacere de tota pecunie quantitate et expensis prout petebatur in modo solutionis et eciam uestra sententia declarastis, asserente procuratore ipsius Marci, quod illa quantitas pecunie alias presentata eidem Marcho Veneciis, ut prefertur, per ducale dominium in manibus procuratoris ipsius episcopi extiterat interdicta, quod uos eciam sepius confirmastis, et sic petebantur ab ipso episcopo pignora aurea uel argentea per ipsum procuratorem in eius manibus sibi tradi pro summa illius pecunie sequestrate, e contrario ipso domino episcopo asserente quod contentus erat de sequestratione predicte pecunie, cui contradicere nullatenus intendebat, cum paratus esset et fuerit, ut prefertur, satisfacere eidem Marco prout in modo solutionis fiende ducale